

1291 August.

[31

Ritter Gerhard von Vunderen schließt einen Vergleich mit der Pröpstin des Stifts Vreden.

Universis in perpetuum presentes litteras visuris vel etiam auditoris Gerhardus de Vunderen miles salutem et cognoscere veritatem. Notum facio et tenore presentium publice protestor, quod cum venerabilis domina Beatrix de Holthe preposita ecclesie Vredenensis super quodam manso sito in Bathenboke ad dictam preposituram pertinente quique (?) a . . . preposita ipsius ecclesie iure bonorum censorum teneri consuevit et debet, me impeteret asserens, me dudum fuisse negligentem in solutione censuum mansi eiusdem, demum questio hec per transactionem et compositionem amicabilem sopita fuit et terminata in hunc modum, videlicet quod dicta domina . . . preposita mihi et Theoderico filio meo prefatum mansum legitime porrexit et concessit iure bonorum censorum perpetualiter obtinendum, ita quod ego seu . . . heredes mei quicumque mansum ipsum possidentes septem solidos legalium denariorum nomine census de manso eodem, de quo quatuor tantum solidi primitus persolvi consueverunt, singulis annis in die beati Bartholomei apostoli domine . . . preposite Vredenensi, que pro tempore fuerit, persolvemus expedite. Quicumque vero heres vel successor prefatum mansum possessore ipsius defuncto vel alio modo cedente aggredi voluerit et debebit, unam tantum marcam legalis monete et non plus pro iure acquisitionis dicti mansi eidem domine . . . preposite Vredenensi dabit et persolvat. In cuius transactionis et ordinationis testimonium ac firmitatem perpetuam presentes litteras

dicte domine . . . preposite et ecclesie Vredenensis concessi sigillo honesti domini Rotcheri de Stade mei consanguinei, quia sigillum proprium non habeo, roboratas. Actum anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> nonagesimo primo, mense Augusto.

Orig. Siegel ab; Lade 217, 1 Nr. 14; Kopiar fol. 14 v.